

Quo tempore se ei (*scil.* Martino) quidam catechumenus iunxit, cupiens sanctissimi viri institui disciplinis. Paucisque interpositis diebus, languore correptus vi febrium laborabat. 2 Ac tum Martinus forte discesserat. Et cum per triduum defuisset, regressus exanime corpus invenit : ita subita mors fuerat, ut absque baptismo humanis rebus excederet. Corpus in medio positum tristi maerentium fratrum frequentabatur officio, cum Martinus flens et eiulans adcurrit. 3 Tum vero, tota Sanctum Spiritum mente concipiens, egredi cellulam, in qua corpus iacebat, ceteros iubet, ac foribus obseratis super exanimata defuncti fratris membra prosternitur. Et cum aliquandiu orationi incubisset sensissetque per spiritum Domini adesse virtutem, erectus paululum et in defuncti ora defixus orationis suae et misericordiae Domini intrepidus expectabat eventum. Vixque duarum fere horarum spatium intercesserat, videt defunctum paulatim membris omnibus commoveri et laxatis in usum videndi palpitare luminibus. 4 Tum vero, magna ad Dominum voce conversus, gratias agens cellulam clamore compleverat. Quo audito, qui pro foribus adstiterant statim inruunt. Mirum spectaculum, quod videbant vivere quem mortuum reliquissent. 5 Ita redditus vitae, statim baptismum consecutus, plures postea vixit annos, primusque apud nos Martini virtutum vel materia vel testimonium fuit. 6 Idem tamen referre erat solitus se corpore exutum ad tribunal iudicis ductum, deputandumque obscuris locis et vulgaribus turbis tristem excepisse sententiam ; tum per duos angelos iudici fuisse suggestum, hunc esse pro quo Martinus oraret; ita per eosdem angelos se iussum reduci, et Martino redditum vitaeque pristinae restitutum. 7 Ab hoc primum tempore beati viri nomen enituit, ut qui sanctus iam ab omnibus habebatur, potens etiam et vere apostolicus haberetur.